

## § IV.

## DE VENDITIONE REI ALIENÆ, PRÆSERTIM FURTIVÆ.

89. *Res aliena, etiam furtiva, emi potest.* — Quæritur I. An, et qualiter vendi, emique valeat res aliena? Resp. I. Certum est, rem alienam, etiam furtivam valide vendi emique posse, ita tamen, ut subiaceat evictioni. Dicitur namque l. *Rem alienam*. 28. ff. *de Contrah. empt.* « Rem alienam distrahere quem posse, nulla dubitatio est. Nam emptio est et venditio: sed res emptori auferri potest, » per evictionem nempe, de qua infra. Ratio est, quia « qui vendidit, necesse non habet rem emptori facere, » seu rei venditæ dominum in emptorem transferre l. *Si ita distrahatur*. 25. ff. *de Contrah. empt.*

90. *Dummodo saltem emptor ignoret rem esse furtivam.* — Resp. II. Ut emptio venditio rei furtivæ valeat, necesse est et sufficit, quod saltem emptor, rem furtivam esse ignoret, sicque bona fides existat: sive dein venditor sciat, sive ignoret, rem esse furtivam. Ita textus expressus l. *Si in emptione*. 34. § *Item*. 3. ff. *de Contrah. empt.* ibi: « Si emptor, et venditor scit furtivum esse quod venit, a neutra parte obligatio contrahitur, si emptor solus scit, non obligatur venditor, nec tamen ex vendito aliquid consequitur nisi ultro quod convenerit, præstet. Quod si venditor scivit, emptor ignoravit, utrinque obligatio contrahitur. »

91. *An etiam ad emptionem rei alienæ non furtivæ requiratur, ut emptor ignoret, eam esse alienam, controvertitur.* — Dicitur notanter in conclusione « rei furtivæ, » quia an emptio venditio rei alienæ non furtivæ sit valida, uterque contrahentium probe sciat rem esse alienam; vel an pariter requiratur, ut saltem emptor ignoret rem esse alienam, magna controversia est inter doctores. Glossa, siquidem in cit. l. XXXIV. ff. *de Contrah. empt.* vers. *Furtivum*; Molina, disp. 427. n. 6; Haunoldus, tract. X. c. 1. n. 107; Lopez et alii volunt emptionem rei alienæ non furtivæ validam esse, etsi utrique contrahentium aperte constet eam alienam esse. Rationem dant; quia in cit. l. XXVIII. ff. *de Contrah. empt.* venditionem rei alienæ valere statuitur absolute et generaliter, absque nulla distinctione, an contrahentes sciant, vel ignorent, rem esse alienam: a qua lege universaliter lata cum solummodo excepta reperiat venditio rei furtivæ l. XXXIV. ff.

eod. reliquæ venditiones rei alienæ merito censentur inclusæ juxta l. *Quæsitum*. 12. ff. *de Fundo. inst.* Nam « Exceptio unius firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis. » Nihilominus:

92. *Eligitur sententia affirmans.* — Resp. II. Emptio venditio cujusvis rei alienæ etiam non furtivæ invalida est, si utrique contrahentium, vel saltem emptori constet rem esse alienam. Ita Wadingus citatus ab Haunoldo ubi supra et clarissimus P. Friderich. Ratio est, quia lex 28. ff. eod. *de Contrah. empt.* absolute et universaliter lata, non tantum in venditione furtivæ, sed cujusvis rei alienæ, emptore rei alienæ conscio, limitatur, si non per l. XXXIV. ff. *de Contrah. empt.* saltem per l. *Si fundum*. 27. c. *de Evict.* ubi absque omni mentione rei furtivæ decernitur, quod si emptor rem alienam vel obligatam scienter emerit, venditor eadem de evictione non teneatur, bene vero, si ignorans, rem esse alienam, contractum emptionis fecerit. Ex quo manifeste sequitur venditionem rei alienæ cujuscunque etiam non furtivæ, emptore hujus conscio, factam invalidam esse, hoc ipso, quod venditione rei alienæ subsistente venditor emptori de evictione semper obligetur, arg. l. *Ex empto*. 11. *de Action. empti.*

93. *Quando venditio rei alienæ est valida, tradere eam debet emptori venditor, etsi sciat eam esse alienam.* — Quæritur II. Quos effectus pariat valida emptio venditio rei alienæ? Resp. I. Quandocunque valide contrahitur emptio venditio rei alienæ tam emptor quam venditor vere obligantur, ille quidem ad tradendum pretium, iste vero ad tradendam rem venditam, etsi sciat eam esse alienam. Communis, teste Haunoldo, loc. cit. n. 113, arg. l. XXXIV. § *Item*. ff. *de Contrah. empt.* ibi: « Utrinque obligatio contrahitur, » juncta l. XI. *Exempt.* § *Item Neratius*. 8. ff. *de Action. empt.*

94. *Proponitur, et solvitur objectio.* — Dices: Nemo potest obligari ad illicitum; at qui illicitum est rem, quæ scitur esse alienæ, alteri quam domino tradere; ergo saltem venditor non obligatur ad tradendam rem venditam, quam scit esse alienam, sed potius obligatur restituere eam domino, etiamsi cæteroquin valida sit talis venditio, Respondet Wadingus, tract. *de Contrah.* disp. 7; dub. 3. § 1, n. 4; Haunoldus, loc. cit. n. 122; Friderich, h. t. n. 160, traditionem rei alienæ in hoc casu non esse illicitam;

## § IV. DE VENDITIONE REI ALIENÆ, PRÆSERTIM FURTIVÆ.

tam; quamvis enim illicite agit venditor, scienter rem alienam vendendo, tamen illicito non agit, contractu non facto, eadem emptori tradendo: quia quoad venditionem, non item quoad traditionem, emptione jam peracta dominus rei rationabiliter est invitus: tum quis hoc ipso, quod leges priori n. citatæ ob bonum publicum finito jam contractu, traditionem rei alienæ mandent, consentire debet, vel non nisi irrationabiliter invitus est: prout vult Wadingus, loc. cit. et cum ipso Rath. thesi 36. Tum quia nullum ex hac venditione damnum domino rei emergat: cum ipse æque ab emptore quam a venditore rem suam repetere ac consequi valeat. l. *Rem alienam*. 28. ff. *de Contrah. empt.* Imo plerumque facilius a bonæ fidei emptore, quam ab iniquo venditore rem suam consequi queat, adeoque etiam ex hoc capite traditioni consentire censeatur: uti volunt Haunoldus et Friderich, loc. cit.

95. *In valida venditione rei alienæ venditor dominium pretii, non vero emptor dominium mercis acquirit.* — Resp. II. Quando emptio venditio rei alienæ est valida, et fit ex parte utriusque contrahentis mutua traditio, pretii nempe pro merce et e contra, acquirit quidem venditor verum dominium pretii eidem ab emptore pro merce seu re aliena etiam furtiva traditi: in emptorem tamen penitus nullum transit dominium mercis, seu rei alienæ a venditore pro pretio traditæ. Communis ac certa quoad utramque partem. Quarum prior pars patet ex l. *ex empto*. 11. ff. *de Action. empt.* et l. *Qui vas*. 48. § fin. ff. *de Furt.* ubi ratio redditur. « Quod enim ex re furtiva redigitur furtivum non esse, nemini dubium est: nummus ergo hic qui redactus est ex pretio rei furtivæ, non est furtivus. » Sunt verba legis. Ex quibus bene inferunt Layman, lib. III. tract. IV. c. XVII. § 3. n. 21; Molina, disp. 327. n. 7, et alii, quod, si postea venditor hujusmodi pecunia ex venditione rei alienæ, etiam furtivæ acquisita, apud mercatorem emat pannum vel quid aliud, rursus tam ipse acquirit dominium panni, quam mercator dominium dictæ pecuniæ pro panno acceptæ.

96. Altera pars aperte constat ex l. *Ex empto*. 11. *de Action. empti*. l. *Rem alienam*. 28. *de Contrah. empt.* l. VI. c. *de Rebus alienis non alienan.* Ratio est; quia juxta reg. 79. jur. in 6. « Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur: » ac juxta reg. 111. jur. ff. « Id, quod

nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. » Consequenter cum venditor rei alienæ, dominium illius non habeat, illud in alium absque consensu domini conferre nequit.

97. *Solvitur instantia.* — Nec dicas ex hoc sequi, meliorem esse conditionem mala fide vendentis, quam bona fide ementis? cum ille non obstante mala fide acquirat dominium pretii: hic vero cum bona fide non consequatur dominium rei seu mercis. Nam contra est, quod iniquus venditor non obstante acquisito pretii dominio adhuc obligatus maneat, vel restitutionem debitam facere domino rei alienæ; vel re per dominum evicta, plenam satisfactionem præstare bonæ fidei emptori; præterquam quod hic etiam interea, usque dum res evincatur, habeat conditionem usucapiendi, seu præscribendi, arg. l. *Quod vulgo*. 11. ff. *Pro emptore*: estque jam dictum supra lib. II. tit. XXVI. *de Præscriptionibus*. § 5. n. 128.

98. *Emptor rei alienæ, eam restituere debet, quando scit eam esse alienam.* — Quæritur III. An, quid, et cui restituere debeat emptor, si in notitiam venit rem a se emptam esse alienam? Circa hanc quæstionem quædam sunt certa, quædam controversa. Prius quæ sunt certa, ponemus. Postea controversa examinabimus. Hinc Resp. I. Emens bona fide rem alienam illico tenetur eam restituere domino suo, si hic ante tempus ad præscriptionem requisitum comparet, et evincat, seu quod idem est, rem esse suam, sufficienter demonstrat. Ita certa et unanimes; atque clare desumitur ex l. *Mater*. 3. et l. *Adversus*. 4. c. *de Rei vindicatione*. Ratio est, quia non tantum, qui accipit, sed etiam qui retinet rem alienam domino rationabiliter invito, restituere tenetur, arg. can. *Si res aliena*. caus. 14. q. 6. Et quidem illico; quia « in omnibus obligationibus, in quibus dies non opponitur, præsentis die debetur. » juxta reg. 14. juris, ff.

99. *Etsi dominus rei pretium expensum ei non refundat.* — Resp. II. Tenetur emptor rem alienam domino comparenti restituere; etsi hic de pretio pro re expenso, nec obulum refundat. Rursus certa et communis omnium. Textu claro l. *Mater*. 3. c. *de Rei vindicat.* ibi: « Rem tuam a possessore, etiam non oblato pretio vindicare poteris. » Hinc communis illa frivola, ac iniqua emptorum excusatio: Restituam, si dominus prius refuderit mihi pretium, quod ego pro re ip-



sus, bona fide expendi, rejicitur a l. II. c. de Furtis; dum ait: « Incivilem rem desideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit solutum a domino. » Ex quo

100. *Improbatur mala praxis.* — Infertur, malam et nunquam admittendam esse modernam plurimorum praxin, qui res alienas furtivas bona fide emptas domino comparanti non restituunt, nisi prius pretium pro re expensum, eisdem a domino restituatur. Adhuc vero pejorem esse praxin illorum, qui, cum res furtivas vili plerumque emant pretio, non solum hujus refusionem, sed insuper lucrum aliquod a dominis præterdunt et extorquent. Hos enim contra justitiam peccare, et in foro tam externo, quam interno ad restitutionem obligari, nullus dubitat. Quo tamen non obstante licitum est hujusmodi emptoribus, gratis a domino oblata acceptare, et ut aliquid refundat, precibus convenientibus eundem rogare.

101. *Qui emit rem alienam cum intentione eam restituendi domino, juste præterdit expensas.* — Limitatur autem conclusio, sicut et doctrina inde illata, in casu, quo quis scienter rem furtivam modico pretio emit, ea intentione, ut rem sibi acquisitam suo restituat domino, utpote qui eandem forsitan alias aut omnino non, aut certe non sine majoribus expensis acquisiturus esset: hoc enim casu, emptorem juste posse petere refusionem pretii pro re expensi, ipsumque dominum in utroque foro ad refusionem hujusmodi teneri, docent cum communi aliorum Covarruvias, loc. cit., n. 5; Molina, loc. cit. n. 2; Sylvester, §. Restitutio. 3, q. 7; Ancharanus, in reg. Peccatum; Layman, loc. cit., n. 26, et alii, arg. can. Rapina. 5, caus. 14. q. 5. ibi: « Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut cui ablata est, reddatur. » Ratio est, quia talis emptor utiliter gessit negotium domini, ob quod dominus recompensare tenetur, quidquid utiliter in rem ejus alter impenderit, l. II. ff. de Negotiis gestis. Observat tamen bene Lessius, loc. cit. quod a emptor ex præfata bona intentione æquale, vel majus pretium pro re expensisse, dominus ad totius refusionem pretii non teneatur; quia negotium ejus utiliter gestum non esset: quamvis nihilominus ad aliquid, judicio prudentum taxandum, obligatus remaneret arg. cit. l. II. ff. de Negotiis gestis. Cæterum extra hunc casum.

102. *Non solum rem sed fructus perceptos*

*restituere tenetur emptor alienæ rei.* — Resp. III. Non tantum rem ipsam alienam, sed et omnes ejusdem rei fructus adhuc extantes, nec non consumptos illos, quod vel a tempore cognitæ rei alienæ percepti, vel ex quibus jam antea bona fide percepti, factus est ditior emptor, in utroque foro restituere tenetur domino. Rursus communis quoad omnes tres, quas habet conclusio, partes; prout constat ex dictis supra lib. II. tit. XII, De Restitutione spoliatorum, § 7, ubi jure et ratione sufficienter probata reperitur tota conclusio. Videatur ibidem.

103. *Controversia doctorum an emptor teneatur rem alienam restituere domino, vel possit iterum tradere venditori, ab eoque repetere pretium.* — Dicta huc usque de restitutione rei alienæ ab emptore facienda extra controversiam sunt apud doctores. At vero multum controvertunt, an emptor semper teneatur restituere alienam rem domino suo, vel an possit eam in secreto iterum restituere illi. a quo emit, furi v. g. et e contra ab illo petere restitutionem pretii, casu, quo ex circumstantiis præviderat, quod si furi rem furtivam iterum restituat, ipse quidem a fure pretium expensum sit accepturus, dominus vero rem suam non amplius sit acquisiturus, fure autem discessuro, aut certe restitutionem debitam nequiquam facturo. E contra vero cognoscat, quod si domino restituat, nec ab hoc, nec a fure refusionem pretii expensi sperare possit, consequenter magnum damnum necessario incurrere debeat.

104. *Allegantur doctores scribentes pro emptore, videlicet, quod venditori iterum restituere possit mercem, et ab eo repetere pretium.* — Navarrus, in Manuali c. xvii, n. 9; Lessius, lib. III. cap. xiv. dubitat. 3, n. 14; Sylvester, §. Restitutio. 3, q. 7; Vasquez, Angelus, Alexander Alensis, et nonnulli alii volunt, in hoc casu licitum esse emptori, rem alienam restituere venditori, et ab eo pretium pro re expensa repetere. Fundamentum eorum potissimum est; quod dominus rei rationabiliter non possit esse invitus, consequenter ei non fiat injuria, si emptor, ut se servet indemnem, rem emptam restituat in pristinum statum, tradendo eam furi tanquam venditori, et restituendo ab eo pretium acceptum. Præsertim cum nemo teneatur cum proprio damno rem alterius in meliorem statum redigere, quod tamen sequeretur, si in memorato casu emptor ipsi

domino rem restituere deberet; cum id præstans faceret dominum possessorem rei suæ, quo utique melior redditur conditio ejus, quam si mansisset apud furem. « Melior enim est conditio possidentis, » l. Si debitor. 40. ff. de Pignor. cum concordantiis. Quo non obstante.

105. *Statuitur sententia contraria.* — Resp. In casu supra n. 103. non potest emptor rem alienam reddere furi, aut alii venditori ad hoc, ut ab eo iterum suum recuperet pretium; sed omnino tenetur eam restituere proprio domino; etiamsi dominus vel ob ignorantiam, ubi res sit, vel aliunde impeditus, rem suam in foro externo non evincat, indeque restitutionem illius non petat, vel petens, defectu probationum non obtineat. Ita docent Molina, disp. 722. per totum, ubi n. 7, ait, hanc sententiam esse sane probabiliorem contraria. Covarruvias, in reg. Peccatum. p. 3. n. 3. ubi ait, conclusionem et rationibus satis firmam, et frequentissimo textum ac canonistarum consensu receptam esse, Castro Palæo, de Just. commut.; disp. 4, punct. 9, n. 7; Layman, lib. III. tract. IV. cap. xvii, § 3, n. 24; Cajetanus, Soto, Medina, Major: cum communi et probabiliori aliorum.

106. *Probat ex doctrina adversariorum.* — Probat conclusio. Certum est etiam juxta ipsos adversarios, quod si dominus resciciens, quisnam rem sibi ablatam emerit, et de facto possideat, ab eo restitutionem petat, non possit emptor rem hujusmodi, furi tanquam venditori tradere, ut vicissim ab eo pretium recipiat, seque indemnem servet; sed teneatur illam petenti restituere domino, ita quidem, ut si neglecto domino rem furi venditori traderet, contra justitiam peccaret, et ad restitutionem teneretur, atque ad eam faciendam etiam a iudice compelli posset, ac deberet; etsi dominus pretium expensum, eidem non refunderet, cit. l. Mater. 3. l. Si mancipium. 23. c. de Rei vindicat. juncta l. II. c. de Furtis; ergo ad idem tenebitur emptor rei alienæ, licet dominus ob ignorantiam, vel aliud impedimentum, id non petat, vel petere non possit: cum hoc prorsus per accidens se habeat et obligatio restitutionis principaliter non ex petitione domini, sed ex ipso jure, quod ad rem suam dominus habet, oriatur, quo jure non subsistente, nec ipse juste petere, nec iudex juste imperare posset restitutionem, c. l. de Constitut.

107. *Confirmatur ex sequela absurda.* —

Confirmatur: si emptor vitandi proprii damni causa, verum jus haberet, rem alienam emptam iterum restituendi injusto venditori, sequeretur, quod nullatenus peccaret, etiamsi id scienter ac expresse contradicente rei domino faceret; imo non posset a domino vel iudice impediri, nec prohiberi, et, si prohiberetur, non teneretur obedire, hoc ipso quod utens jure suo nulli faciat injuriam, c. Cum Ecclesia Vultur. 21. de Elect. atqui sequi sequela est contra ipsos adversarios, qui uno ore fatentur, quod domino rei suæ restitutionem petente, vel iudice eandem mandante, emptor non amplius possit eam pro recuperatione pretii reddere injusto venditori; ergo.

108. *Confirmatur ulterius.* — Confirmatur ulterius; qui disponit de re aliena cum præjudicio aut damno domini rationabiliter inviti, injuste agit, et ad restitutionem tenetur, etsi hoc faciat damni proprii vitandi causa, juxta omnes, arg. c. fin. de Injuriis, et damno dato, atqui hoc agit emptor, restituendo rem alienam emptam venditori, qui eam domino non amplius restitutus dignoscitur; id enim faciendo revera disponit de re aliena cum damno domini, et quidem rationabiliter inviti, hoc ipso, quod, si sciret, certe ac rationabilissime, uti posset, contradiceret; ergo. Nec refert, quod ob ignorantiam actu non contradicat; quia nihilominus vere adhuc et ad propositum sufficienter est, censetur, ac dicitur rationabiliter invitus, sicut quoad furtum censetur, et est rationabiliter invitus dominus, etsi, dum furtum committitur, ob ignorantiam actu non contradicat. Et per hoc patet ad fundamentum adversariorum n. 104. positum.

109. *Respondetur ad probationem adversariorum.* — Ad id, quod probationis loco additur, videlicet neminem teneri cum proprio damno proximum ad meliorem statum redigere, optime respondet Molina, loc. cit. n. 3. concedendo quidem, neminem cum proprio incommodo teneri, rem alienam redigere in meliorem statum, ac fuit is, quo quis rem alienam accepit; negando tamen, posse aliquem rem alienam extrahere ex illo statu, quo eam accepit, ac in priorem cum damno ac injuria domini rationabiliter inviti collocare, arg. cit. c. fin. de Injuriis et damno dato, quod facere emptor restituendo rem alienam venditori, prout consideranti patet.

110. *Firmatur responsio.* — Confirmatur



hæc Molina responsio. Si præfatum adversariorum fundamentum subsisteret, sequeretur, quod etiam malæ fidei emptor rem alienam iterum posset restituere injusto venditori, et ab eo exigere datum pretium, quia iste rem alienam in antiquum collocaret statum, ad quod solum quis obligatur juxta adversarios; atqui sequela est juxta ipsos adversarios ultro concedentes, malæ fidei emptorem, id est qui scienter emit rem alienam, non posse eam reddere venditori, sed debere restituere domino, uti videre est apud Lessium, Navarrum, et alios. loc. cit.

111. *Emptor potest rem alienam emptam restituere venditori, si inde nullum sequatur damnum domino.* — Fatendum tamen cum communissima doctorum posse bonæ fidei emptorem, vitandi proprii damni causa, iterum restituere venditori, quando prudenter judicat nullum inde damnum secuturum domino, eo quod venditor ipsemet sponte sit restitutus, vel dominus ab eodem rem suam faciliter ac sine ullo incommodo obtinere valeat. Ratio est, quia in hoc casu dominus rationabiliter invitus esse non posset, prout cum aliis bene advertit Molina, loc. cit. n. 1. dicens in hoc convenire doctores.

112. *Si bona fide jam restituit venditori, ad nihil amplius tenetur domino.* — Insuper conveniunt doctores teste eodem Molina, loc. cit. n. 3; Covarruvias, ad reg. *Peccatum*. p. 3. n. 3, quod, si bonæ fidei emptor, rem alienam recuperatione pretii bona fide jam iterum restituerit venditori, putans id sibi licere, postea ad nullam amplius restitutionem domino faciendam teneatur; etsi domino damnum exinde sequatur, venditore vel aufugiente, vel alias restitutionem rei non faciente. Ratio est, quia in hoc casu nullus adesse videtur titulus obligans ad restitutionem. Non enim obligaretur emptor ad restitutionem ratione injustæ acceptionis, cum bona fide acceperit: nec ratione injustæ acceptionis, quia rem non amplius habet; nec injustæ damnificationis, quia bona fide processit: nec denique adesse videtur, quod exinde ditior factus sit; quia supponitur, eum non nisi solum pro re expensum recepisse pretium.

113. *Neque, si eandem bona fide rursus vendidit tertio.* — Ob eandem rationem ulterius conveniunt doctores apud Covarruviam, loc. cit.; Layman, loc. cit., n. 25; Sylvester, *ff. Restitutio*. 3, q. 7; Sanchez, lib. II. c. xxxiii. n. 18, quod, si Caius v. g. equum, quem a

fure bona fide emerat, rursus fide bona vendat Titio, postea comparens dominus, nihil a Caio prætere vult, sed a Titio; qui tamen Titius equo per evictionem privatus, actionem de evictione contra Caium, et hic contra furem, primum venditorem instituere potest, arg. l. *Ex empto*. 11. § 1 et 2. ff. de *Action. empti*. Quid autem sit evictio, et actio de illa, dicitur infra per specialem. § de *Evictione*.

114. *Si res pecunia furtiva emitur, fit emptor rei emptæ dominus: nisi ematur res ecclesiastica.* — Quæritur IV. Quid juris, si fur pecunia furtiva, vel quis alius pecuniis alienis rem aliquam, equum, v. g. domum, etc. emat? Resp. I. in hoc casu rem nummis alienis emptam, una cum omnibus fructibus ex ea perceptis transire in verum dominium emptoris: venditorem vero non acquirere dominium pecuniæ alienæ, sed teneri eam comparenti domino restituere, nisi eandem jam præscripsisset, vel bona fide expenderit, vel propriis pecuniis ita commiscuerit, ut discerni amplius nequeat. Prima pars conclusionis communis est ac certa textu expresso l. I, et penult., c. *Si quis alteri*. ibi: « Qui aliena pecunia comparat non ei, cujus nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si ei fuerit tradita possessio, quærit. » Concordat, l. *Si ex ea pecunia*. 6. c. de *Rei vindicat*. Excipiunt tamen, si quis pecuniis ecclesiasticis rem aliquam emerit; hujus enim dominium emptor non acquireret, ob specialem juris dispositionem, can. 1. caus. 12. q. 3. et ibi Glossa, *ff. Suo*. Notant etiam conclusionem docentes, divus Thomas, 2. 2. q. 78. a. 3. Molina, disp. 127. concl. 2. Covarruvias, *Variar. resolut.* lib. III. cap. II. n. 6; Layman, loc. cit. n. 22, non obstante rei emptæ dominio manere furem obligatum, ad resarciendum omne damnum, ac lucrum cessans tum illi, a quo abstulit; tum etiam venditoribus, casu quo ab ipsis pecunia evincatur.

115. *Venditor autem non acquirit dominium pecuniæ loco mercis acceptæ. Nisi ita suis bona fide commisceat, ut discerni non possint.* — Altera conclusionis pars aperte docetur l. *Si alieni*. 78. ff. de *Solution*. ibi: « Si alieni nummi inscio, vel invito domino soluti fuerint, manent ejus cujus fuerint; si mixti essent, ita ut discerni non possent, ejus fieri, qui accepit. » Nec obstat l. VIII. *Pomponius*. ff. de *Rei vindicat*., ubi universaliter præcipitur, ut, si plures ejusdem naturæ res com-

miscantur, quod amplius discerni nequeant, inter dominos pro rata dividantur. Nam ab lege excipitur mixtio pecuniarum, ob specialem juris dispositionem, uti post Glossam, in cit. l. *Si alieni*, cum aliis bene observat Layman, loc. cit., numer. 23, contra Lessium, cap. xx. dub. 18, n. 157, docente, mixtione pecuniarum, dominium non mutari, sed teneri miscentem, eandem restituere comparenti domino; cui cum doctoribus citatis consentimus in casu, quo pecunia aliena propriæ commixta, adhuc bene discerni potest, ut si pecunia aliena in auro, propria in argento; vel aliena in majori, propria in minori sorte consisteret, arg. cit. l. *Si alieni*, vi ejus tunc solum miscens pecunias, dominium alienorum nummorum acquirit; « si mixti essent ita, ut discerni non possent; » consequenter si discerni possunt, aliter et juxta legem universalem l. *Marcellus*. 3. ff. de *Rei vindicat*. judicandum est; quo tamen in casu habet venditor actionem contra ementem. Cæterum pro praxi ex conclusione infertur, furem (idem est de depositario) pecuniis alienis negotiantem et luerantem, nequaquam esse obligandum ad restituendum lucrum; nisi forsitan id exigeret lucrum cessans, vel damnum emergens domini, prout contra Glossam, in c. *Tua usur*. bene ostendit Abbas, ibid. n. 3; Molina, disp. 429; Layman, loc. cit., n. 21, et alii.

## § V.

## DE PRETIO RERUM VENALIUM.

116. *Pretium rerum, quid, et in quo consistat?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit pretium rerum venalium? Resp. I. Pretium rerum venalium est, quod emptore venditori pro merce, seu re venali promittitur. In re communis, arg. § 2, *Instit.*, h. t. Patetque definitio ex terminis; solummodo notanda est particula *promittitur*; qua indicatur, non esse necessarium, quod illico detur, seu solvatur pretium pro merce, sed sufficere, si interim promittatur, lib. II. ff. de *Contrah. empt*. Debet autem hoc pretium certum ac determinatum esse, § *Pretium*, *instit.* h. t. et insuper in numerata pecunia consistere, l. I. de *Contrah. empt*. et § *Item*, *instit.* h. t., uti uberius jam dictum est supra n. 8.

117. *Est duplex: legitimum nempe, et vulgare.* — Resp. II. Pretium generaliter loquendo, duplex est, legitimum nempe, seu

legale, et naturale, seu vulgare. Legitimum (a lege sic dictum) est illud, quod a lege publica, aut decreto principis, vel magistratu habente ad id potestatem ponitur, aut taxatur pro communi totius reipublicæ bono. Expedi enim bono communi, ut subinde rerum certa statuatur pretia, sicque avaritiæ venditorum obvietur, ne res seu merces pro arbitrio vendant cum magno ementium, præsertim indigentium præjudicio. Quamvis nonnunquam etiam in favorem ipsorum venditorum pretium taxetur, ne videlicet emptores, præcipue potentiores, res seu merces pretio nimis vili extorqueant, non sine magno venditorum damno. Ita quoad totam conclusionem communiter tradunt doctores uti videre est apud Layman, l. III. tract. IV. cap. xiv. § 1, n. 3; Castro Palao, de *Instit. communitat.* disp. 5, punct. 2, n. 2; Less., lib. II, c. xxi, n. 7; Engel, h. t., n. 4; Covarr., et alii; docetque quotidiana praxis, qua videmus, quod passim a magistratu taxetur, seu certum ponatur pretium pro vino apud hospites, pro pane apud pistores, pro piscibus apud piscatores, pro carne apud laniones, etc. quod pretium in indivisibili consistit, et transgredi regulariter non licet, uti infra dicitur.

118. *Pretium vulgare triplex, infimum nempe, medium et summum.* — Pretium naturale, seu vulgare est, quod absque taxatione legis, aut superioris, communi ac prudenti hominum judicio et æstimatione mensuratur, considerata non solum ipsa rei natura, sed etiam ejusdem utilitate, vel necessitate, abundantia, vel penuria, ipsaque hominum affectione, arg. l. *Pretia rerum*. 63. ff. de *leg. Falcid*. Et quia hominum judicia non usque ea conveniant, quia aliqua etiam discrepantia interveniat, hinc hoc pretium non consistit in indivisibili, seu in certa, ac determinata pecuniæ quantitate, uti pretium legitimum, seu legale; sed habet quandam latitudinem; vi cujus idem pretium a citatis doctoribus et aliis communiter dividitur in infimum seu pium, in medium seu moderatum, et in summum seu rigorosum, vernacula lingua « In den geringsten, mittleren, und höchsten Anschlag, oder Rauff. » Quantum autem hæc tria pretii naturalis genera inter se distent, ob varia hominum judicia omnino certa et mathematica regula dari nequit. Engel, h. t. n. 11. post Laym., putat, quod, si res aliqua secundum medium pretium æstimaretur decem florenis,